

Christo per beat. Petrum, apostolorum culmen, sibi traditam intelligens, ut ex agro dominico pro temporum necessitate noxia evellat et destruat, utiliaque plantet et aedificet, ea interdum, quae a Praedecessoribus suis ob rationabiles et justas causas olim sancita fuerunt, ubi in grave aliorum praejudicium et detrimentum redundare cognoscit atque dissidibus et contentionibus fomentum praebere animadvertit maxime inter Dei et Ecclesiae Ministros, quorum est evangelizare pacem et quibus a Domino non aliud frequentius neque enixius commendatur, quam ut pacem ac unitatem diligant, moderari et immutare aliasque Pastoralis Officii sui partes desuper interponere solet, prout rerum, locorum temporumque circumstantiis mature pensatis, discordiarum extinctioni, Ecclesiasticorum Ministrorum quieti, fidelium animarum saluti divinoque cultui conspicit salubriter expedire.

Sane quamplures romani Pontifices Praedecessores nostri multiplicia ac plane insignia considerantes merita Ordinum Regularium, qui militantem in terris Ecclesiam fortissimis omni tempore auxerunt praesidiis, viris nempe vitae sanctitate, doctrinae laude ac orthodoxae religionis zelo praestantibus, eidemque in coelis triumphanti eximii fulgoris lumina addiderunt, ipsos Ordines eorumque Professores, plurimis satis amplis indultis et privilegiis benigne decorarunt ac inter alia iis illud concesserunt, ut canonicam portionem seu quartam funeralium emolumentorum partem pro personis, quae in eorum Ecclesiis sepulturam sibi eligerent, Parochis persolvere minime tenerentur, ac ad majorem ejusmodi privilegii firmitatem, sanctioni etiam a fel. rec. Clemente V. Praedecessore Nostro edito in Concil. Viennensi et relate in Clementina Du-

dum, de Sepulturis, necnon Concilii Tridentini Decreto relato in cap. 13. sess. 25. de ref. praedictam quartam funeralem Parocho aperte reservantibus non semel amplissime derogarunt; unde non acerbae modo Parochorum querelae sed innumerae etiam contentiones atque lites inter eos et Regulares super solutione ejusdem quartae diversis temporibus excitatae fuerunt, quae coram Ordinariis locorum et deinde in variis quoque almae Urbis Nostrae tribunalibus, praesertim vero in Auditorio palatii Nostri apostolici et in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, praefati Concilii Tridentini interpretum, magno partium studio, nec minori sumptuum incommodo discussae, sicut accepimus, aliquando ad favorem Parochorum, aliquando autem ad favorem Regularium pro diversis causarum circumstantiis atque vario Judicantium sensu decisae ac definitae fuerunt. Haec porro judicatorum sententiarumque diversitas, cum nullam certam ac determinatam constituerit regulam, in evenientibus casibus observandam, magnum plane fomentum et ansam reliquit, immo et latam sternit viam ulterioribus inter praedictos Regulares et Parochos litibus et controversiis, ex quibus ipsi, qui in domo Dei ambulare debent cum consensu, novis de caetero perturbari dissidiis novisque praegravari dispendiis possunt cum divini cultus detrimento et scandalo plurimorum. Quocirca Nos maxime expedire censentes, ut ejusmodi controversiae et lites ab Ecclesia Dei penitus arceantur, ac insuper, licet universos Ordines Regulares, in quibus nempe in Ordine Fratrum Praedicatorum, Nos ipsi plurium annorum spatio versati sumus, speciali paternae caritatis affectu prosequamur, eosque, uti de Ecclesia catholica, fide et sede apostolica optime meritos praecipuo

semper in honore ac pretio habuerimus et habeamus, nihilominus considerantes exemptionem a solutione quartae funeralis praefatis Ordinibus in dicta apost. sede concessam modo vergere in maximum parochorum praejudicium, tum propter multiplicationem Conventuum et Monasteriorum Regularium, tum etiam propter auctam devotionem et consuetudinem fidelium sepulturam eligendi in Ecclesiis praedictorum Regularium, ac proinde non modo consentaneum sed etiam necessarium arbitantes, ut eorundem parochorum, quibus caeteroquin sacri Canones et prisca Ecclesiae disciplina aperte suffragantur, indemnitati opportune consulatur et antedicta apostolica privilegia ad aequitatis limites reducantur, hinc igitur est, quod Nos omnia et singula memorata privilegia exemptiva a solutione quartae funeralis, quibusvis Ordinibus, Congregationibus ac Institutis regularibus ab apostol. sede, ut praefertur, quandocumque et quomodocumque concessa, praesentibus, pro plene et sufficienter expressis habentes, ac de eorum tenore et substantia satis superque instructi, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium et aliquot etiam Romanae Curiae Praelatorum a Nobis ad id specialiter deputatorum consilio, suadentibus etiam Episcopis et aliis Ecclesiarum Praelatis, in praesenti Sacro Concilio congregatis, ac insuper motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione Nostri deque apostol. potestatis plenitudine hac Nostra perpetuo valitura Constitutione, praemissa omnia privilegia quoad quartam funeralem, tantum pro locis infra exprimendis, moderamus, reformamus, ad viam juris reducimus, et quatenus opus sit, etiam revocamus et abrogamus, neque cuiquam deinceps suffragari posse vel debere decernimus.

Praeterea motu, scientia et potestatis plenitudine similibus sancimus et statuimus et mandamus, *ut in Italia eique adjacentibus insulis* a die publicationis praesentis Constitutionis in futurum parochis defunctorum, qui in Ecclesiis quorumcumque Regularium praedictorum tumulabuntur, persolvatur et cum effectu tradatur quarta pars omnium intortitorum et candelarum, quibus defuncti cadaver in itinere ad Ecclesiam tumultantem associabitur, necnon omnium intortitorum et candelarum, quae in eadem Ecclesia circa cadaver vel etiam in altaribus in die funeris accendantur. A praedicta tamen quarta funerali exceptae intelligantur et sint candelae, quas Sacerdotes, etiam Regulares vel piarum Sodalitatum Confratres, funus associantes, manualiter per viam accensas deferent. Quod si funus non fieret in die tumulationis, sed ad diversam diem vel ad aliud longius tempus differetur, parocho nihilominus assignetur quarta pars omnium intortitorum et candelarum, quae ipsamet peracti funeris die in Ecclesia, ubi defunctus humatus fuit, circa cenotaphium seu tumulum honorarium atque etiam in altaribus ejusdem Ecclesiae accensa fuerint. Haec porro omnia locum habeant et exacte in posterum observentur, quotiescumque defunctus extra suam parochialem Ecclesiam tumuletur vel exponatur, sive in Ecclesia tumultante vel exponente beneficium obtinuerit, sive quia ibidem sepulchrum habuerit gentilitium, sive tandem quia in ea sepulturam elegerit. Sub praedicta quarta funerali comprehendi non intendimus, immo expresse ab ea excipimus legata missarum et anniversariorum hisque similia pia relicta ad favorem Ecclesiae tumultantis vel exponentis a defuncto deposita. Circa quae ac omnia et singula alia, de quibus in praesenti Con-

10) In transitu per aliam parochiam.

Curatus unius dioecesis (quaecumque sit), in transitu cadaveris, quod processionaliter defertur ad Ecclesiam Regularium ab alia dioecesi, trans-eundo per propriam parochiam et jurisdictionem, non potest aliquam partem cerae et pecuniarum praetendere. S. C. Episc. et Regul. 28. Nov. 1671, 15. Nov. 1675, et eadem S. C. Episcop. novissime in Placentina pro Terra Clastidii 24. Novbr. 1713 in respons. ad 2.

Parentes cadaveris non tenentur ratione funeralium solvere parochi Cathedr., per cujus parochiam defertur cadaver, aliquam portionem.

N. 3094 die 15. Sept. 1685.

Pro transportatione cadaveris de uno ad alium locum non solvitur gabella sive vectigal. S. Congr. die 10. Jun. 1653.

Parochus praetendit, parochos cum funeribus illac transeuntes debere consistere et ei quartam funeralis persolvere. S. C. resp.: Dictum parochum non posse neque debere impedire, quominus parochi suos defunctos comitentur usque ad Ecclesiam, in qua sepeliendi sunt, neque mortuarium petere, quod haeredes propriae parochiae solvant.

N. 615 die 14. Febr. 1626.

Pro extractione, introductione vel transitu cadaveris delati ad sepulturam nequit exequi gabella aut vectigal. Sic reprobatis contrarium sententibus, nervose probat *Card. de Luca* de Regularibus discurs. 166. occasione praetensionis excitatae pro cadavere Cardinalis Giberti Borromaei, qui obiit in oppido Neptuni et transportatus fuit

ad Urbem: et in fine testatur, ita vivae vocis oraculo decisum fuisse a s. m. Alexandro VII. occasione ejusdem praetensionis Dohanerorum pro translatione cadaveris infantis Margaritae de Sabaudia, quae in Urbe pie decedens Assisi sepulturam elegerat, quem aliis adductis sequitur *Ald.* ad Pamphil. decis. 323. n. 9. apud *Ursayam* Institut. Crimin. lib. 3. tit. 9. n. 48 et 49. Et sic expresse declaravit S. Congregatio Immunitat. in Firmana 10. Junii 1653.

Nec parochus occasione transitus per suam parochiam cadaveris alterius parochiae et dioecesis potest praetendere aliquam partem cerae aut pecuniarum pro quarta funerali aut alio titulo ab haeredibus defuncti, ut expresse statuit S. C. Episc. et Regular. in Placentina 24. Nov. 1713 in resp. ad 2 dub.

11) In tumul. pauperum.

Parochi pauperum cadavera gratis sepelire tenentur.

S. C. Ep. 5. Maii 1617; 31. Maii 1646.

Vd.: *Sepultura pauperum.*

QUATUOR TEMPORA.

Commemor.

Vd.: *Feriae maj.* (commem., decr. n. 4175).

QUINQUE GRANA INCENSI.

Vd.: *Cereus Pasch.* (Bened., Modus).

QUINQUE VULNERA JESU CHRISTI.

Vd.: *Officium* (quinque vuln. etc.).

stitutione mentio facta non fuit, privilegia praedictis regularibus Ordinibus ab apost. sede concessa, salva prorsus et illaesa ac inviolata perpetuo permanere et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quodcumque spectabit, inconcusse et irrefragabiliter observari debere volumus, decernimus et mandamus. Ubi vero consuetudines legitime probatae, conventiones, concordiae vel statuta vigerent, quae praefatis parochis magis faverent illisque pinguorem praedicta quarta emolumentorum funeralium portionem assignarent, ea in iis, in quibus videntur, locis inconcusse ab omnibus observari motu, scientia ac potestatis plenitudine paribus sancimus, praecipimus et jubemus.

Datum Romae apud s. Petrum 1725
4. Calend. Maii.

Extra Italiam insulasque adjacentes, ad quas vires suas haud porrexit Constitut. s. m. Benedicti XIII. incip.: *Romanus Pontifex*, de qua Auctor num. 24., servatur quoad solutionem quartae funeralis a Regularibus faciendam Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 13. de Reformat. demandans, ut Regulares non aliter sint exempti a solutione quartae funeralis, quam si per quadraginta annos ante ipsum Concilium eam non solverint.

Quaestionis autem est: utrum ad Regulares, an ad parochos spectet probare, quod ipsi Regulares per quadraginta annos ante Tridentinum Concilium quartam funerariam haud solverint. Spectare ad parochos, resolvit S. C. C. Interpres in una Minorum Observantiae Provinciae Poloniae 14. Novbr. 1682.

E vivis nuper erepta quum fuerit Anna Graziani Patrizi e Burguo s. sepulchri, locus factus est illius testamentariae dispositioni, ut nimirum peracto funere Colleg. in Eccl. Roncionis, quod est oppidum istius amplitudinis Tuae

dioecesis, tumulum haberet in Eccl. Ord. Minor. s. Francisci Capuccinorum ejusdem loci. Absolutis exequiis Capitulum recensitae Colleg. Eccl. cadaver deposuit juxta morem ad valvas Eccl. eorundem Regularium, qui servatis servandis illud tumularunt. Deinde et a paroco et a Capitulo eodem ex-postularunt, quod illis obvenit hac occasione, quartam nimirum funeris. Sed renuentibus Paroco Archipresbytero et recensito Capitulo, immo asserentibus nihil Capuccinis debendum, recursum isti habuerunt ad hanc S. C., ut pro sua sapientia super controversia decerneret. Quum autem haec omnibus nota sint et pluries decretum, quartam funerariam spectare ad Eccl. tumulantem, propterea Emi et Rmi P. in Ordinariis Comitibus hodiernis ad Vaticanas Aedes coadunati satius duxerunt amplitudini Tuae esse scribendum, ut pro sua prudentia controversiam juxta morem ad pacem assequendam ac sine strepitu componat adigetque Capitulum ad praestandum Alumnis Capuccinis, quod illis debetur a jure statutum. Hanc S. C. voluntatem et decretum dum amplitudini Tuae communico, diuturnam ex animo exopto felicitatem.

Romae 7. Dec. 1844. n. 4998.

Rmo Dom. uti Fratri
Episc. Sutriano et Nepesino.

Ad eandem relationem S. C. resp.: Juxta alias decreta in casu praestandam esse quartam funerariam Ecclesiae tumulanti. n. 5022 die 14. Jun. 1845.

Nonantulana.

(Conc. Tr. cap. 13. sess. 25. De ref.)

In Terra Pergulae mortuus est quidam puer, filius Marci Antonii Baldini de parochia Ecclesiae Conventus PP. s. Augustini, et ejus cadaver fuit traditum sepulturae in Ecclesia Convent.

PP. Minor. Conventualium; hisce contententibus, se non esse adstrictos ad solutionem quartae funeralis favore Ecclesiae paroch., controversia exorta est, quae ad hanc S. Congregationem defertur.

Fundamentum PP. Minor. Conventualium consistit in antiqua conventionione inter utrumque Conventum, quod loco quartae funeralis persolvantur Patribus s. Augustini pro parochianis eorum Curae subjectis sex annuae librae cerae, et licet de hac conventionione non constet per instrumentum, constat tamen ex testibus atque receptis.

Addunt novissimam constitutionem SSmi Domini Nostri sibi non obstare, tum, quia eadem tollit consuetudines et conventiones, quae sunt damnosae Ecclesiis parochialibus, inter quas dicunt non esse enumerandam illam, de qua nunc agitur, cum parochia quolibet anno habeat censum annuum sex librarum, licet plures elabatur anni, in quibus nemo in sua, hoc est, Fratrum Min. Conventualium Ecclesia eligit sepulturam, tum quia conventio facta est pro extinguenda lite, non super quarta sed super alio puncto, ad quem videlicet ex duobus Conventibus spectaret Cura Terrae Pergulae.

E contra Conventus PP. s. Augustini suum constituit fundamentum in constitutione edita a SSmo Domino Nostro die 8. Junii 1725 et impressa post Concilium Romanum, in qua sublatis omnibus privilegiis a solutione quartae eximentibus, voluit eam integram persolvi a Regularibus Ecclesiis parochialibus, et in ea derogatur apostolicis aliis constitutionibus, statutis, privilegiis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, et in eo, quod attinet conventiones et concordias, non praeservat nisi eas, quae parochis magis favent, et illis pinguorem quarta emolumentorum funeralium portionem assignant.

Jura circumferuntur, quocirca onus erit EE. VV. decernere:

An Constitutio noviter emanata super quarta funeralium obstet, itaut Ecclesia PP. Minorum Conventualium Terrae Pergulae teneatur solvere Ecclesiae paroch. PP. s. Augustini ejusdem Terrae integram quartam funeralem in casu, in quo aliquis subjectus parochiae dictorum PP. s. Augustini sepelitur in Ecclesia PP. Min. Conventualium in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 24. Maii 1727.

Iterum propositis dubiis:

I. An sit standum vel recedendum a decisio? Et quatenus affirmative quoad primam partem;

II. An quarta funer. solvenda sit PP. Augustinianis in quarta parte candelarum, intortitorum aliorumque circa funus appositorum seu potius in illorum medietate juxta assertam loci consuetudinem?

S. C. C. resp.

ad I.: In decisio et amplius;

ad II.: Negative quoad primam partem; affirmative quoad secundam et amplius.

Die 17. Decbr. 1729.

9) Pro Sepult. Canon. Cathedr.

Vd.: SS. Viaticum (portand. Sacerd.).

Quarta funeralis pro sepultura Canonice Cathedralium debetur paroco domicilii, non vero paroco Cathedralis neque paroco parochiae, ubi adest sepultura suorum Majorum. Sic expresse decrevit S. Congr. Conc. in Tiburtina 12. Maii 1685 in respons. ad 3, et in Narnien. 26. Sept. 1699.

In tumulatione cadaveris tam Canonici quam alterius in Cathedrali civitatis Cajetanae non debetur paroco defuncti quarta funeralis. n. 4270 ad 6 die 16. Julii 1757.